

Articulus Vigésimus Primus.

Ad inferioris Sclavoniae reincorporationem, districtus Kuttinensis Jurisdictioni Regni restitutionem, excessuum circa Varasdinensem et Carlostadiensem Generalatus hactenus interventorum compositionem, et ad Limitum Regni cum vicinis provinciis distinctionem Commissiones ordinantur.

Quandoquidem eam benignissimam Suae Majestatis Sacratissimae, Dominae Dominae et Reginae Clementissimae, mentem et intentionem esse, palam constaret, quod omnino conditas Leges et Articulos sine effectum manere, adeoque gratis conditos esse non patietur; quod vel exinde statim testatum redditur, cum eadem Sua Majestas Sacratissima supratitulato Illustrissimo et Reverendissimo Domino Locumtenenti et Praelato Augustissimo Suo et pleno gratiarum ore committere dignata fuit, ut Commissarii ex parte Regni, inferioris Sclavoniae, virtute Articuli 18 et 50 reincorporationem districtus Kuttinensis, tenore Articuli 51 Jurisdictioni Regni restitutionem, ita et Excessuum circa Varasdinensem et Carlostadiensem Generalatus hactenus interventorum sensu Articuli 49 compositionem, quemadmodum, et ad metam inter vicinas Styriae et Carnioliae Provincias, atque Dominium Chaktornia, ad mentem Articuli 53. novissimae Dietae controversam rectificationem, ex parte Regni quantocius denominent; cui benignissimae aequae ac Justissimae Suae Majestatis Sacratissimae menti et intentioni Domini Status et Ordines satisfacere cupientes, ad reincorporationem Sclavoniae, ex parte sua futurum Dominum Comitem Banum, Illustrissimum et Reverendissimum Dominum Georgium Branyugh Officii Banalis Locumtenentem, Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopum Zagrabiensem, et Abbatem Beatae Virginis Mariae de Thopuska; Illustrissimum Dominum Comitem Alexandrum Pathachich de Zaiezda, perpetuum in Rakovec et Verbovec, Sacratissimae Regiae Majestatis Aulico-Hungaricae Cancellariae Consiliarium, ita benigne indulgente Sua Majestate Sacratissima; Dominum Comitem Ludovicum item Pathachich, de praefata Zaiezda, perpetuum item in Rakovecz et Verbovecz, Suae Majestatis Sacratissimae Consiliarium, et Inclyti Comitatus Veröcze Supremum Comitem, Illustrissimum et Reverendissimum Dominum Majorem Praepositum Zagrabiensem (Titt.); Dominos Balthasarem Bedekovich de Komor Vice-Banum, Magistrum Adamum Naisich, Proto-Notarium, Joannem Rauch, Tabulae Regni Judicariae Praesidem, Ordinarios Zagrabiensis et Crisiensis Comitatum Vice-Comites; ad Excessuum vero Generalatus complanationem et Districtus Kuttinensis Jurisdictioni Regni reapplicationem, pro Praeside futurum Dominum Comitem Banum, Dominum Comitem Joannem Franciscum Chikuliny, Colonellum, Reverendissimum Dominum Josephum Cholnich, Cathedralis Ecclesiae Zagrabiensis Lectorem et Canonicum, et Sanctae Sapientiae de Tittel Praepositum, Vice-Banum item, et Prothonotarium Regni, Dominos item Ordinarios Varasdinensis, Zagrabiensis & Crisiensis Comitatum Vice-Comites, pro Commissariis Domini Status et Ordines ordinarunt et denominarunt, ordinatosque et denominatos esse Suae Majestati Sacratissimae perscribendum esse decreverunt.